



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

41 Bonifacius in Ecclesia captum libertate donavit, & ipsum valdè  
poenituit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

amicitia conjunctum, eo quod confugientem ad ecclesiam inde abstrahi jufferit, in hæc verba scripsit: Miror, quomodo tam subito fidei murum aries ruperit inimici, novienim, qua religione semper sis Ecclesiam Dei veneratus, quo instigante, frater hominem de ecclesia rapuisti: tuus, si de tuo amico forte præsumeret fugitivus, posset proculdubio intercessionis causa veniam promereri; ergo, si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed, si de potestate præsumitur, Nabuchodonosor Regem intende, qui causa superbiæ in bovem est ex homine commutatus. Non, ut confundam te, hæc scribo, sed ut filium meum charissimum moneo, ecclesie igitur illæsum revoca, quem, ut irreligiösis rapuisti, oblatio verò domus tuæ à clericis ne suscipiatur, indixi, communionemque tibi interdico, donec peracta pro ausibus, vel errore, à me definita tibi met poenitentia, & tempore condonato, pro hoc facto corde contrito, & humiliato dignum offeras sacrificium Deo, ut cap. miror. 17. quest. 4

Cui Bonifacius in hæc verba respondit.

41 Humilis saluto, † quod primum est, suscepi autem tremens sanctitatis tuæ verba verberibus plena: Scio, quod veniæ præparatur, qui ab Augustino perfectissimo sacerdote corripitur; nec debet Episcopo denegari, quod voluntas facit, aut casus. Ipse enim sibi denegat curam, qui suam medico non publicat causam. Hominem ergo, piissime Pater, è liminibus ecclesie raptum tuis sanctis aspectibus jussio mea, furorque subduxit, alieno

non sunt facta ista consilio, Dei, & sanctorum ejus regimine vivo: illum itaque virum morte dignissimum, quem (ut dixi) meus de ecclesie foribus furor abstraxit, vitæ tuis jussionibus donamus illæsum, agnosco culpas, indignæ meæ lacrymæ jungantur tuis fletibus justis, quo possit hæc nota nigro inscripta titione deleri, ecclesie mihi introitus non negetur, illic spero veniam, ubi admisi culpam. August. epist. 7. in append. & Baron. lib. Annal. Eccles. tom. 5. Annal. 442. in fine.

Honorius verò Imperator † Catholicis ecclesiis privilegia concessa stabilivit; & sua lege sancivit, nemini licere ad sacrosanctas ecclesias confugientes abducere, & si quisquam contra dictam legem venire tentaverit, læsæ Majestatis criminis reum esse volunt, ut l. 2. C. de his, qui ad Eccles. confug. & Baron. eod. tom. 5. Annal. 407. pag. 263.

Theodosius enim junior Imperator illepius, qui honor ecclesie debeatur, his verbis expressit: † Nos, inquit, qui legitimi Imperii armis nunquam non circumdamur, quosque sine armis stipatoribus esse non convenit, Dei templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadem Regiæ Majestatis insignie humiliter deponimus, & sacra altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus, quibus quoque oblati, ad extimum, communeque atrium mox nos recipimus, nec quicquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus. Baron. eodem tom. quinto. Annal. 431. pagina 238. in fine. & pagina, 359. in principio.